



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Coloniensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus, & nobilibus viris Principibus
in Coloniensi provincia constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

aut punitus ab ipso, sed honoribus & possessio-
nibus dilatatus. Ipse postmodum Sicilia regnum
adeptus, publicè proponi fecit edictum ut nullus
vel clericus vel laicus ad Ecclesiam Romanam
accederet, nec ad eam aliquis appellaret. Philip-
pus autem de quo agitur ab Ecclesiæ persecutio-
ne incepit, & adhuc in ea persistit. Olim enim
patrimonium Ecclesiæ sibi usurpare contende-
dens, Duceum Tuscæ & Campaniæ se scribebat,
asserens quod usque ad portas urbis acceperat
potestate in illa pars urbis quæ Trans-
tyberim dicitur ejus erat jurisdictione concessa.
Nunc etiam per Marcwaldum, Diupuldum, &
fautores eorum nos & Ecclesiam Romanam per-
sequitur, & regnum Sicilia nobis auferre con-
natur. Si ergo id facit in arido, in viridi quid
faceret? Et si adhuc aridus & exanguis, utpote
cujus adhuc est messis in herba, nos & Eccle-
siam Romanam persequuntur, quid faceret si,
quod absit, imperium obtinet? Vnde vide-
tur non irrationabiliter expedire ut prius nos
ejus violentiæ opponamus quam amplius inva-
lescat. Quod autem etiam in Regibus fili pro
patribus sint puniti divina pagina protestatur.
Nonne propter peccatum Saulis dictum est à
Domino per Samuelum: *Stulte egisti, nec custo-
disti mandata Domini Dei tui qua precepit tibi.
quod si non egisses, jam nunc preparasset Dominus
regnum tuum super Israël in sempiternum; sed ne-
quaquam regnum tuum ultra conjurget.* Salomon
quoque legitur à Domino esse dictum: *Quia non
custodisti patrum meum & præcepta mea qua man-
davi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, &
dabo illud seruo tuo; veruntamen in diebus tuis non
faciam propter David patrem tuum, de manu filii
tui scindam illud.* De Ierooboam similiter dictum
fuit à Domino per Achiam: *Ecce ego inducam
malum super dominum Ierooboam, & percussam de Iero-
oboam mingenter ad parietem.* Et ibidem legitur
quod interfecit Baasa Nadab filium Ierooboam,
& percussit omnem dominum Ierooboam, non di-
milit nec unam quidem animam de semine ejus,
donec deleret eam propter peccata Ierooboam
qua peccaverat, & quibus peccare fecerat Is-
raël, & propter delictum quo irritaverat Do-
minum Deum Israël. De Baasa quoque scribi-
tur dixisse Dominus: *Quia ambulasti in via Iero-
oboam, & peccare fecisti populum meum Israël, ecce
ego demetam posteriora Baasa & posteriora domus
eius. Achab etiam dictum invenitur à Domino
per Eliam: Ecce ego inducam super te malum, &
demetam posteriora tua, & interficiam de Achab
mingentem ad parietem.* Nam & Dominus dicit:
*Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum
in filios usque in tertiam & quartam progeniem in
his qui oderunt me, id est, in his qui circa me
paternum odium imitantur. De Otto videtur
quod non liceat ipsi favere, quoniam paucioribus
est electus; quod non deceat, ne videa-
mur, non ob gratiam ejus, sed alterius odium,
ipsi favorem apostolicum exhibere; quod non
expediatur, quia respectu alterius videtur pars
ejus debilis & infirma. Verum cùm tot vel plu-
res ex his ad quos principaliter spectat Impera-
toris electio in eum consenserint noscantur quot
in alterum consenserunt, cùm non minus ido-
neitas seu dignitas electæ personæ, immo plus*

quam eligentium numerus sit in talibus atten-
dendus, nec tantum pluralitas quoad nume-
rum, sed salubritas quoad consilium in eligen-
tibus requiratur, & Otto magis sit idoneus ad
regendum imperium quam Philippus, cùm Do-
minus etiam puniat peccata patrum in filios us-
que in tertiam & quartam progeniem in his qui
oderunt eum, id est, in his qui patrum peccata
sequuntur, & Philippus progenitorum suorum
peccata in Ecclesiæ persecutione sequatur, cùm,
etsi non debeamus reddere mala pro malis, sed
benefacere malefactentibus nobis, non tamen
debeamus honorem pro injuria in his qui in so-
lita perseverant malitia compensare aut contra
nos armare farentes, cùm Dominus, ut con-
funderet fortia, humilia elegisse legatur, ut
pote qui David in Regem de postfæctantes acce-
pit, videtur quod & liceat, deceat, & expedi-
at ipsi favorem apostolicum exhibere. Absit
enim ut deferamus homini contra Deum aut ti-
meamus vultum potentis, cum secundum Apo-
stolum non solùm à malo, sed ab omni specie
mala nos oporteat abstinere. Scriptum est enim:
*Maledictus qui confidit in homine, & qui ponit
carnem brachium suum.* Nos igitur ex prædictis
causis pro pueri non credimus insistendum ut
ad prælens debeat imperium obtainere. Per-
sonam vero Philippi propter impedimenta paten-
tia penitus reprobamus, & obstante ei dicimus
ne imperium valeat usurpare. De cere-
ro vero agendum per Legatum nostrum apud
Principes ut vel convenienter in personam idoneam,
vel se judicio aut arbitrio nostro com-
mittant. Quod si neutrū elegerint, cùm diū
expectaverimus, cùm monuerimus eos ad con-
cordiam, cùm instruxerimus eos per litteras &
nuntium nostrum, & consilium nostrum eis du-
xerimus exponendum, ne videamur eorum fo-
vere discordiam & dicere cum Ezechia, *sit pax
& veritas in diebus nostris,* ne si fecuti fuerimus
à longè ut videamus finem, cum Petro tandem
veritatem, qua Christus est, negare cogamur,
cùm negotium istud dilationem non capiat,
cùm Otto & per se devotus existat Ecclesiæ, &
ex utraque parte trahat originem ex genere de-
votorum, ex parte matris de domo Regum Angliae,
ex parte patris de prosapia Ducum Saxoniæ,
qui omnes Ecclesiæ fuere devoti, & specialiter
Lotharius Imperator proavus ejus, qui
bis pro apostolicæ sedis honore Apuliam est in-
gressus, & in obsequio Ecclesiæ Romanae de-
cessit, ei manifestè favendum, & ipsum recipi-
endum in Regem, & premisis omnibus qua
pro honorificentia Ecclesiæ Romanae debent
præmitti, ad coronam Imperij evocandum.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus, & nobilibus viris Princi-
pibus in Coloniensi provincia constitutes.

Nec vos nec alios credimus dubitare quin
imperij Romani provisio principaliter &
finaliter nos contingat; principaliter quidem,
quoniam per Romanam Ecclesiam de Gracia
fuit specialiter pro Ecclesiæ defensione transla-
tum; finaliter, quia etsi alibi coronam regni
recipiat, ab apostolica tamen sede ultimam ma-
nus impositionem & coronam imperij recipit

Epist. 30

II De negotio imperij.

701

Imperator. Vnde audito quondam quod vota Principum in Imperatoris fauissent electione divisa, tanto magis fuimus de ipsorum divisione turbari quanto bonus status imperij ex causis predictis specialius ad nos spectat, & pro multis & magnis necessitatibus populi Christiani non solum Ecclesia devotum habere desiderat defensorem, sed & imperium totum indigere cognoscitur idoneo provisore. Verum, quantumcunque grave nobis existet & molestum quod imperij provisio videbatur in communione religionis Christianae dispendium ex tali divisione differit, ne tamen Principum dignitatem ignorare vel laedere videbemur, expectavimus aliquandiu si forsitan ipsi usi consilio saniori, vel per se ipsos, si fieri posset, dissensioni sua finem imponerent, vel super hoc saltem nostrum consilium implorarent, ut per eorum studium nobis mediatis discordie malum bono concordiae purgaretur, & rugam schismatis unitatis simplicitas aboleret. Cum autem expectatio nostra nec nobis, nec vobis, immo nec imperio ipsi prodesset, sed obesse potius videbatur, ne dissimilando videbemur hujusmodi fore discordiam, ad concordiam vos curavimus per litteras apostolicas invitare, quas ad multos Principum novimus pervenisse. Postmodum vero auditio quod per sollicititudinem bona memoriae Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra praesentia redeuntes disponuerint Principes ad colloquium convenire super ordinatione imperij tractaturi, ne quid ex contingentibus omittentes videbemur, litteras nostras ad eos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum eisdem fideliter exponentes. Ceterum, cum nec sic haec tenus inter eos bonum concordiae potuerit provenire aut utiliter imperio provideri, deliberavimus cum fratribus nostris quid esset agendum & qualiter posset malis imminentibus obviari. Tandem vero in hoc resedit consilium, ut venerabilem fratrem nostrum Praestinum Episcopum apostolicae sedis Legatum, religione conspicuum, præditum honestate, magnum Ecclesie Dei membrum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, & cum eo dilectum filium magistrum Philippum Notarium nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito sua probitatis acceptum, ad partes Germaniarum ex nostra latere mitteremus. Quia vero quanto negotium istud magis est arduum, tanto maiores & maturiores exigunt tractatores, venerabili fratri nostro Octaviano Ostiensi Episcopo apostolicae sedis Legato, qui post nos in Ecclesia Romana obtinet primum locum, dedimus in mandatis ut si a negotiis illis quibus intendit in regno Francorum se poterit expedire, cum ipsis pariter & per ipsos numeris a nostro latere venientes instrutus pleniis ad partes vestras accedat, & ambo Episcopi simul, vel alter eorum, si ambo non poterint intercessi, cum eodem Notario vestrum consilium audiatur, & vobis beneplacitum nostre voluntatis exponant. Ideoque universitatibus vestra per apostolica scripta mandamus quatenus cum ab eis vel eorum altero fueritis evocati, ad presentiam evocantium aut etiam evocantis accedere

Tom. I.

non tardetis. Datum Laterani Non. Ianuarij, [pontificatus nostri anno quarto.]

In eundem modum scriptum est Capitulo & suffraganeis Ecclesie Maguntiae, & Principibus in Maguntina provincia constitutis.

In eundem modum Salzburghensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Salzburghensi provincia constitutis.

In eundem modum Bremensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Bremensi provincia constitutis.

In eundem modum Trevirensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Trevirensi provincia constitutis.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS
quam secularibus Principibus Alamannie.

Epi. 31.

Quantum ex imperij divisione dispendium, non solum nobis & vobis, sed etiam universo populo Christiano proveniat, instantis temporis malitia manifestat. Nam etenim contra catholicos invalescunt heretici, Christianæ religionis termini coactantur, contra fideles pagani super occupatione ac detentione terræ nativitas dominice gloriantur. Pax & justitia, quondam invicem se complexæ, particulare nunc deplorant exilium, & in earum sedes violentia & sedicio conjuratis manibus impure se jactant successisse. Vnde jam violenti bona Ecclesiasticae sacrilega tam mente quam manu diripiunt, potentiores impotentium colla premunt, & loculi pauperum in thesauris divitium inopem coguntur copiam vel copiosam inopiam parturire, ac in eorum explicationibus plicas veteres, ut jam ad litteram quod legitur implatur: *Ei qui non habet id etiam auferetur quod videtur habere.* Et ut singula brevius perstringamus, jam sibi juris locum injurya vendicavit, & legem facit, non ratio, sed voluntas; ita ut quidam totum sibi licere putent quod noverint complacere. Nos autem jam pridem haec omnia prævidentes, & volentes præcavere sollicitè ne hujusmodi venirent abusiones in usum, licet expectantes exspectaverimus aliquantum ut vos usi consilio saniori hac mala per utiliem provisionem imperij tolleretis & in partu perimetris hujusmodi genima viperarum, tandem tamen, ne dissimilando fovere discordiam videbemur, cum non ad depressionem sed exaltationem imperij, sicut novit Dominus, intendamus, per litteras nostras, quas ad multos vestrum novimus pervenisse, vos ad concordiam curavimus invitare, ne imperialis sublimitas per eos, non solum attenuari, sed & defluvi videbetur per quos magnificati debuerat & extolli. Tandem autem auditio quod per studium & sollicitudinem bone memorie Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra præsentia redeuntes quidam vestrum disponuerint ad commune colloquium convenire super ordinatione imperij tractaturi, litteras nostras ad vos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum vobis exponentes fideliter, & super iis que videbantur necessaria vos diligentius instruentes. Ceterum cum nec per expectationem diutinam, nec per exhortationem honestam, nec per instructionem plenariam sit haec tenus concordia prioris incommodum sequentis

V V u ij